

Landesbibliothek Oldenburg


Digitalisierung von Drucken

Frisia occidenta

Mercator, Gerhard

[Amsterdam], [1609?]

[urn:nbn:de:gbv:45:1-315574](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-315574)



11214

Natura alia via Frisijs, ut & Hollandis, assatim prospexit, qua inopiam lignorū levarent, & quidem melius quam nonnullis inter Scythas populis, qui lignorum egentes, ossibus ignes alere scribuntur, nimirum fossitio cespitum, qui e terræ fodinis erutus, sole excoctus, ventoque arefactus, igni alimentum obvium, minimeque contemnendum præbet, estque tuendo igni fomes, quam Promethea illa ferula, paratior. Huius tam copiosi materia & luxuries in lucem profertur, ut non tantum incolis abunde sufficiat, sed & vicinis regionibus ijs subvenire queant. Materia huius cespitum plura sunt genera, quæ colore, leuitate & pondere materia, adhæc cineris, quo se obruit, bonitate & candore, differunt atque examinantur. Primum genus vile est, rarum, inane, fungosum, valde leue, color illi impluviatus, qui rubiginem parietum e pluvie defluxa natam mentitur: quod genus deterrimum est, neque usui civium expetitum, servit fere cortinis cervisiariorum inflammandis & concoquendis: quod accensum vultus e vivido colore plumbeos, cadaverosos, larvisque assimilés homines facit, tetramque exhalat mephitum: quo odore non raro etiam animi defectus (uti præsentius in bituminosis carbonibus sit) conciliatur, quem sal inspersus tollit. Alterum densius est, furvum, segmentis virgultorum intermeantibus & palustribus canis intercisum, gravitate mediocri, pro miscui usus. Tertium ponderosum, laterum coctilum duritiem quandam imitans, quod cæteris natatu fluitantibus solum subsidit aquæ immersum, tardeque ignem concipit, sed conceptam diutissime continet, cinerum colore, sabulosoque solo effossum. Est & quod e salsuginosa terra conformatur in glebas, Zelandiæ domesticum, *Dariam* vulgus vocat. Præter hæc est quod verruculis e fundo aquæ extractum pingui luto constat, quæ materia in lacus quosdam quadratos, ubi aqua prius redundans disfluxerit, affunditur & complanatur, postea arefacta in metas rariores aggeratur, ut vento perflata solique penetrabiliores ad usum durentur. Hibent & inopes rusticorum familiæ inter Cisthenanos Frisios peculiare cespitum genus in tessellas, prius dictorum more conformatum, fimo bibulo constans, interperis straminis, arundinum, fœni quisquilijs, ad tolem æstivum excocto: sed cuius fumus infesta acrimonia sic urit oculos, ut lippitudinem facile conciliet. Frisia hæc olim regio Diademate claruit, ad Caroli Magni usque tempora: a cuius obitu varijs agitata fuit molestijs, tametsi & ante quoque eiusdem tempora durissimum Danorum & Norwegianorū senserit imperium. Tandem vero sub Carolo V Cæsare, Principe verè pacifico, halcyonios dies est adeptæ. Vrbes huius Frisicæ sunt numero xii. *Leoardia*, *Leewarden*, totius Frisicæ est caput, urbs opulenta, & uti privatis civium domicilijs decenter ornata, ita aquarum ambitu, foueis & prævalida arce, contra hostiles insultus egregie munita. Curiam habet Iudiciale, & Frisicæ Cancellariam, a cuius tribunali nulla ulterius permittitur appellatio. Huic vicinum est *Zuichemum*, patria *Vigilij*. *Docum* duobus inde milliarijs distat, agrum habet fertilem, pascua lata. Abest a sinu Maris uno milliari. Paruit olim *Geldris*. *Sneca* in Comitatu Westergoyensi tribus a *Leoardia* milliarijs loco humili & aquoso sita est, quo fit ut segetem ager non ferat, pascuis sit lætissimus. Vrbs rota ræcens, vix ante ducentos annos donata iure civitatis: progressu tamen temporis in tantum crevit, ut nulli nunc totius Frisicæ urbi concedat. Bonorum ingeniorum alumna diu fuit: in hac natus est & educa-

tus

Imperium Ma-
iorum.

Vrbes.

ALBERTO OLLI

Karteno 154.